



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici  
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||  
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam  
Decani**

**Krantz, Albert**

**Coloniae, 1574**

Capvt VIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11453**

**Q**uo tēpore Henricus Leo iam atate fessus, & qui fortunam expertus vtrang<sup>3</sup>, diū in terrarū orbe iactatus esset, plenus dierum, cūm Brunswico, vt diximus, exornandis ecclesijs, & reparandis pijs vbiq̄e operibus intentus ageret, in pace quieuit, tumultus in ecclesia sancti Blasij, quam ipse ornauit, ditauit, & semper coluit. In sepulcro eius Leonē fusilem constituerunt, vt cognomini eius, quōd Leo diceretur, responderent. Indē sumpsit occasionem fabula illa puerilis, quam paucis supra exufflauimus, de longa peregrinatione, quam fabulator ignorabat, in terrā fuisse sanctā: & indē pudore deposito, liberē effinxit de nauigatione errabunda, de cōsumptis vel inedia, vel alia occasione socijs, deq̄ duce, cūm esset insutus corio, per gryphonē deportato: de pugna draconis & leonis, cū ille leoni faueret ad victoriā: sequutū leonem, & ita cum bellua reuersum principem iam incognitum. Aniles nenas contemnimus in historia, quas neque vllus commemorat authorum, neque vllam habent veri similitudinem: Abeant in tenebras & obliuionem. In idem tempus incidit obitus Bernonis Zwerinensis primi episcopi: nam praecessores eius Magnopolitani dicebantur. Vir erat religionis & amantissimus, & obseruatissimus, & qui per omnia ferē tempora Henrici, multum in conuersione Scandalarum laborasset: Sape contumelijs pro Christo affectus, periculis multis examinatus, pulsus, casus, exhonoratus: in quibus omnibus triumphabat, gaudens quōd dignus haberetur pro nomine Christi illa sustinere: par insigne virorum, qui & temporis perpetuo tractu, & laborum varietate, pro nomine Christi memorabiliter diū in ecclesia desudarunt: Annum fuisse nonagesimumseptimum  
tum

tum nonnulli, alij quintum fuisse contendunt, post centum atque mille, cum in fata concederent, ad meliora translati. Henricus autem pro insigni, quam aliquando gestabat, gloria, & pro exquisitis in seculo rebus gestis, cum Salomone de vniuerso suo labore, quo sub sole laborauit, nihil est in terris consequutus, nisi memorabilem sepulturam, & memoriam cum laude boni nominis sempiternam.

## CAPVT IX.

**D**ñi nos Fridericus Imperator, & Henricus Leo, principes omni auo memorabiles, genere Saxones, memorando tenuerunt, quòd raro pares rebus gestis ea natio protulit, quòdque res ab illis exantlate, non satis fideliter ab Italicis scriptoribus percenseantur: Nunc Henrici Imperatoris, eo nomine VI. res exequamur: Cum res Christiana iam dudum in Asia labefactata destueret, capta rursus à Saracenis Hierosolyma, Caelstinus Papa institit, missis in orbem Christianum legatis de latere, excitauitq; Imperatorem Henricum, vt apud Argentinam susciperet crucem. Idem fecere Henricus Palatinus Rheni Leonis filius, Otto marchio Brandenburgensis: Sed ille apostolica postmodum voti commutatione domi substituit. Hermannus de Thuringia Lantgrauus, & Almarus de Limburg, Adolphus de Holsatia, & Scowenborg comes: dux Austria, Hartuicus Bremensis archiepiscopus, Rodolphus Verdensis: Quadringenti praterea ciues de Lubica triumphale crucis signum sequuti, in eam se militiam accinxere. Sed cum Imperator ingressus in Apuliam, iam ante omnia per Coradum cancellarium parari iussisset aurum, comatus, naues, anilites, perplexitatem eam reperit in regno, qua perso-